



**Script:** incendium romae  
**DATE:** 26 July, 64 AD

### *Salutatio*

**Favonius:** Salvete, omnes! Mihi nomen est Marcus Favonius et hoc est Forum Romanum!  
Quid novi est hodie? Brevi tempore videbimus. At primum, ecce Quaestio Hodierna!

### *Quaestio Hodierna*

**Lector:** Quaestio hodierna est de Incendio Magno:  
In quos Nero contulit culpam Incendii Magni Romae?  
Responsum dabitur ad finem Fori Romani.

### *QVID NOVI?*

**Favonius:** Et nunc videamus quid novi sit.  
Hodie, novem diebus postquam ignis conclamatus est, Incendium Magnum tandem exstinctum est!  
Iulia?

**Iulia:** Ut credimus, flammae primo visae sunt inter tabernas apud Circum.  
Brevissimo tempore, ventus ignem distulit totum per Circum et omnia per illa loca.  
Dimidia pars Urbis autem in ruinis nunc est.

**Favonius:** Nec mirum, populus Romanus, praesertim vulgus, maxime iratus est. Multi culpam contulerunt in nostrum imperatorem principemque Neronem Caesarem. Nero autem hodie contulit culpam huius incendii in Christianos, sectum Iudaicum, et religiosum et perniciosum. Ad amplius audiendum de hoc Incendio Magno, nostra Iulia Pauli locuta est cum uno e vigilibus.

### *ET ALIA (Interview with a vigilis)*

**Iulia:** Ut notum est omnibus, vigilis sunt custodes Urbis, qui, inter alia, pugnant cum incendiis. Mecum est vigilis, Lucius Favillus nomine. Ave atque salve, Faville!

**Vigilis:** Et tu salve!

**Iulia:** Quomodo res aguntur?

**Vigilis:** Multo melius, quia incendium tandem extinctum est!

**Iulia:** Quaeso, dic nobis pauca de hac calamitate.

**Vigilis:** Libenter. Ut credimus, incendium conclamatum est inter tabernas apud Circum Maximum. In illa parte urbis, autem, tabernae et insulae domusque sunt densissimae.

**Iulia:** Certe scio.

**Vigilis:** Atque difficillimum erat nobis auxilium ferre nam viae ibi, ut bene scis, quoque sunt angustae et densissimae atque tortuosae.

**Iulia:** Certum est. Sed tamen, quomodo incendium tandem extinctum est?

**Vigilis:** Nos vigiles multa aedificia domoliti sumus ut ignis nil alimenti caperet. Ut mihi videtur, incendium tam magnum modo inedia finitum est.

**Iulia:** Teneo quid dicas. Si licet mihi rogare, nonne ergo tu es libertus?

**Vigilis:** Libertus sum. At nil me pudet.

**Iulia:** Certe. Quid tu censes de illis rumoribus de Nerone?

**Vigilis:** Quales rumores?

**Iulia:** Rumor vulgo est Neronem ipsum Romam incendere, atque, dum Urbs incendio deleatur, Neronem suum carmen Troianum cantabat!

**Vigilis:** Nerone incendiarius? Haud sic credo. Hi rumores omnes ego accipio tamquam panem edo: cum grano salis!

**Iulia:** Facete atque bene dictum, vigilis! Multas gratias. Totum est hic, Favoni, rursus ad te!

### *Tempestas Hodierna*

**Favonius:** Tempus est audire de tempestate. Quam ob rem, hic est Aulus Serenus!

**Serenus:** Gratias tibi ago, Favoni. Videamus quaenam sit tempestas hodie. Ut semper mense Iulio, percaldum est hodie totam per Italiam atque totum per Mare Nostrum. Sol lucet, credo, sed nemo solem potest videre!

Super Romam autem adhuc sol obscuratur nam fumus Incendii Magni non iam evanuit. Fortasse Apollo non potest currum agere per fumum tam densum! Re vera, etiam totum per Latium sol obscuratur—ab Etruria

Forum Romanum

Show #8: Incendium Romae

usque ad Campaniam. Mirabile, si verum est. Auspicia autem sunt multo meliora ad tempestatem crastinam, gratias Iovi! Sed, ut aiunt, tempus fugit! Iam satis est. Aulus Serenus sum atque spero caela sint vobis valde serena!

***Responsum Quaestioni***

**Favonius:** Multas gratias, Serene. Et nunc, ecce responsum quaestioni hodiernae.

**Lector:** Quaestio hodierna erat ut sequitur: In quos Nero contulit culpam Incendii Magni Romae? Responsum est hoc: in Christianos

***Dictum Hodiernum***

**Favonius:** Nunc tempus est videre nostrum Dictum Hodiernum!

**Lector:** Hoc est dictum hodiernum: cum grano salis.

***Valedictio***

**Favonius:** Verba notanda. Ut repetamus nuntios principales: Incendium Magnum tandem extinctum est! Totum est ad hanc editionem Fori Romani. Gratias summas agimus et di vobis faveant. Valete omnes!